

nunquam ita læti sunt, quin interim in timore aliquo venturæ tempestatis sint; ita nos in isto mundo nunquam ita lætari deberemus ut non meminerimus tenebrosi temporis, tribulationis, mortis, iudicii, etc.

III. Discimus, quam facile sit Deo confundere et dissipare hominum consilia. Etenim Herodes admodum fraudulenter machinabatur necem Christo, cum omnes infantes in Bethlehem et finibus ejus, a bimatu et infra perimi præcepit: nihil tamen effecit, Christus se subtraxit: *Frustra jacitur rete ante oculos pennatorum*, inquit Sapiens, Prov. I. Imo dum Herodes perdere Christum voluit, perdidit proprium filium, ut alibi audivimus: ita nimirum sibi nocet, qui in Deum pugnat. Fabri turris Babel sibi imaginabantur se a nemine impediri posse: sed risit eos Deus ac reipsa dixit: « Levi flatu hoc opus dissipabo, nullis utar machinis, tantum confundam linguas eorum, ut uno petente lateres, alter præbeat cæmentum, hoc petente trullam, alter porrigat sportam: itaque implebo cuncta confusione, ut invicem irridentes, et mutuo irascentes separentur, et pudefacti dispergantur in regiones, » ut describit Marius Victor. l. XXX. in Gen. Eadem facilitate elusit Christus Herodem ejusque machinamenta. Avium, quas in nostris terris noscimus, minima est, quam regulum vel regalium appellatur, hæc per angustas sepes, celerissimis saltibus transilit, ac licet vicinissima et præmanibus nostris sit, quasi captu facilis, nequam tamen apprehendi potest, statim enim elabitur, et oculis nostris se subducit: cantillat præterea in hieme et pugnare audet cum aquila, oculos ejus impetens, quam utique ob causam, Plin. l. X. c. XXV. regem avium appellari eam scribit. Merito hanc aviculam Christo infanti compararim. Ipse enim minimus hominum factus est, cum exinanivit semetipsum formam servi accipiens: cum reclinatus in præsepio, non haberet locum in diversorio, jam ab aliis occupato: cum Barabba deterior habitus et medius inter latrones crucifixus est. Canit hic in hieme, quia in frigore hiemali natus vagit, interim tamen mundo lætum accinit nuntium: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus*. Conabatur hunc Herodes jamjam apprehendere, sed spe delusus est; subito enim hic infans ab ejus manu se subduxit et fugit in Ægyptum, sicque superbum illum regem, qui sibi instar aquilæ volantis omnia cernere videbatur, oculis et mente privavit. Eadem sua potentia compressit fastum et arrogantiam Maximiani imperatoris Christianis insultantis, anno 301. Ipso enim Maximiano Galerio in theatro, Nicomediæ jactabundo ore

perorante de Romani imperii felicitate, devictis Parthis et Persis, regis etiam personis in triumphum ductis et ultra Ctesiphontem protracto imperio, quod ante imperatorum Romanorum nemini icuisset, et ad suorum deorum cultum Christianos alliciente, et impellente, prodigium immane ejus jactantiam redarguit; cum medio die sereno cælo, caloribus maximis, tanta vis tonitruum et fulgurum, cum ventis vehementibus, et densa grandine, et densis tenebris erupit, ut plurimi in fuga proculcati, perierint, et Maximianus vix evaserit; flumina quoque redundantia, et segetes funditus evellentia, agriculturalum labores in mare deportarunt.

IV. Discimus, teneram liberorum ætatem sedulo custodire, et abscondere a perversis sociis, quia non minus quam Herodes eos perdere querunt, dum ad vitia impellant. Hinc apost. ad Gal. IV. ait, Ismaelem persecutum esse puerum Isaac, Gen. XXI. sed quomodo eum persecutus est? Malo exemplo, aiunt Hebræi apud Sanctum Hieronymum fingendo per ludum idola; ex quo ad idololatriam facile pertrahi poterat Isaac, Sara igitur hoc videns ejecit Ismaelem. Nec minori diligentia usa est Rebecca in servando filio Jacob ab insidiis Esau fratris. Cum enim adverteret hunc illi necem machinari, ablegavit Jacobum in Haran, Gen. XXVII. Discant ergo matres exemplo Deiparæ, Saræ et Rebecæ, servare liberos suos a morum corruptoribus. Audiant vel ethnicos. Severus imperator filios ab urbe abduxit, non alia de causa, quam ut a deliciis urbanis abstracti non ignavia, sed militari vitæ in castris, juvenes assuescerent. Plut. in lib. de educandis liberis ait: « Sicut infantium membra simul ac nata sunt, formari componique debent, ut recta minimeque obliqua fiant, ita puerorum mores principio apte concinneque fingere conveniet. »

V. Discimus bona nostra opera dæmoni velut Herodi mox subtrahere et offerre Deo. Vult dæmon sicut Pharaon, Exodi I. masculas nostras proles, id est, opera spiritus interfici: feminas, id est, opera carnis reservari. Nos contra cum obstetricibus masculas servemus: et contra potius feminas per penitentiam extinguamus.

VI. Discunt uxores a Deipara, maritis subesse et obedire. Etenim Josepho, non Deiparæ facta est revelatio, fugiendum esse in Ægyptum; ipsa vero a Josepho hoc primum intellexit, et tamen ita paret eique se accommodat, ac si idem ab angelo audisset. Nimirum ipsa noverat virum esse caput mulieris, et Josephum familiæ suæ directorem: idcirco ei non secus ac Dei voci obediit. Igitur uxores directionem et instructionem capiant, et petant a maritis: non præscribant ipsis leges.

VII. Discimus a Josepho Dei et superiorum monitis obedire. Videte Josephi obedientiam. Audit ab angelo fugiendum esse et quidem in Ægyptum longo et asperrimo itinere, in barbarorum regionem Hebræorum inimicam, adeoque in exilium, statimque ad iter accingit, nec verbo contradicit, v. g. posse commodiorem nec minus tutum locum eligi, quod olim fecerat Loth, qui jussus ab angelo in monte se salvare, replicavit velle se potius divertere ad urbem Segor, Gen. XIX.

Deinde, jubetur pueram et matrem ejus tantum accipere, de suppellectile nulla mentio, quia nec commode fieri poterat, præsertim in hac festinatione: paret iterum Joseph. Jubetur etiam surgere de somno et ipsa nocte fugere: surgit igitur mox et capessit fugam.

Denique, jubetur in Ægypto hære, donec rursum moneatur: *Esto ibi*, ait angelus, *usque dum dicam tibi*, non describitur ei terminus certus. Et hoc tamen contentus est. Fuit igitur Joseph verus Abraham filius, in hac sua obedientia patrem suum imitans. Jubebatur ille egredi de patria, Gen. XII. et sine mora egressus est: ita etiam Joseph monitus ut fugeret, de nocte consurrexit et fugit. Item fecerat Joseph patri, audiens enim a patre: *Veni, mittam te ad fratres tuos: Præsto sum*, inquit, Gen. XXXVII. Celebratur etiam hoc nomine in Bavaria S. Matth. Raderi, p. I. B. Fridericus e S. Augustini familia Ratisbonensis, qui cum e cella vinaria vinum e dolio in subjectum vas emitteret, et epistomium extractum intra cingulum conderet, audiens vocem superioris, subito advolavit, ablato secum epistomio. Quod ubi vidit prior, conjecit canalem a Friderico apertum relic-

tum esse. Revolat igitur in cellam cum epistomio Fridericus, id repositurus; sed vidit aperto e vase nihil prorsus effluxisse, in præmium videlicet velocis obedientiæ.

Secundo, jubebatur ire in terram sibi incognitam et paruit Abraham, nesciens quo iret: ita Josephus in Ægyptum ire jubetur, terram barbaram et hostilem nec designatur civitas aut domus, in qua diverteret, paret tamen simpliciter. Hujusmodi exemplum cæcæ obedientiæ ait se vidisse S. Hieronymus, in reg. monial. quando fratrum unus, qui in eremo ad jussum sui superioris, singulis diebus lapidem prægrandem ferebat in scapulis bis quotidie per tria milliaria, quod is cum magna alacritate continuabat per annos octo.

Tertio, jubebatur relinquere domum paternam, et cognationem suam, ita etiam Joseph qui præter patriam domum reliquit etiam suppellectilem et cognatos, etc. Quarto, Abraham nihil conqueritur, tametsi iter foret magnum et difficile: pari modo et Joseph, qui eundem sibi sciebat perhorridum et incultum desertum. Quinto, obediit Abraham perseveranter, manens semper in Chanaan: ita etiam Joseph mansit in Ægypto, donec angeli ductu, redire juberetur.

Habemus ergo in Josepho speculum obedientiæ, quem nos imitabimur, si nostrorum superiorum, confessoriorum, concionatorum consiliis per omnia utamur, et ad eorum directionem vitam nostram instituamus. Hac enim ratione secure ambulabimus, insidias diaboli declinabimus, et tandem ad patriam nostram Nazareth, id est, floridam cæli regionem perveniemus.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

JUSTI ET INNOCENTES CUR HIC SÆPE TRIBULENTUR.

I. Ut probetur eorum virtus. — II. Ut a peccatis emundentur. — III. Ut exerceantur et solidentur in virtutibus. — IV. Ut in officio contineantur et arceantur a peccatis. — V. Ut digni fiant celesti gloria. — VI. Ut sint aliis in exemplum patientiæ.

THEMA.

Mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem.
Matth. II.

Quid est, auditores, quod Ecclesia hoc Innocentium festum modo violaceo et lugubri vestitu, modo rubro et hilari celebrare solet? Modo omittit

in ejus missa cantica lætitiæ, modo ea resumit? Si enim incidat in dominicam, celebrat cum gaudio; si in alium diem, celebrat cum luctu. Nimirum duplex est, adiciendum de cæde horum infantium: unum hujus mundi et matrum istorum infantium, alterum vero Dei. Mundus illorum cædem censet lacrymis deplorandam, velut innocentium; et sic deplorant eos matres: Deus autem gaudio potius asserit prosequendos, velut martyres cælo natos. Utrumque indicavit Jeremias, cap. XXXI. de hoc prophetans. Inducit enim Rachelem, velut matrem communem omnium horum infantium, eorum cædes deplorantem: *Vox in Rama audita est, ploratus et ululatus multus: Rachel plorans filios suos, ut refert Matthæus. Verum audite*

vozem Dei : *Hæc dicit Dominus* (addit Jeremias) : *Quiescat vox tua a ploratu et oculi tui a lacrymis, quia est merces operi tuo, ait Dominus, et revertentur de terra inimici. Et est spes novissimis tuis, ait Dominus, et revertentur filii ad terminos suos, quasi diceret : Ne fleas, o Rachel, ego dabo mercedem filiis tuis et vitam æternam, sumamque eos in cælum. Hoc ergo gaudium infantium representatur die dominica, sicut fletus matrum representatur feriali. Ex quo habemus non tam dolendum esse, quando patiuntur Innocentes, quam gaudendum. Recte igitur Deus sinit sæpe pati etiam innocentes. Causas hic videamus.*

I. Ut probetur eorum virtus, solida ne sit necne. Sæpe istos nos reputamus, cum non simus : sicut sæpe existimatur esse verum aurum, quod est fictum et alchimicum. Ignis id probat et discernit. Quod est ignis auro, hoc est justo tribulatio. Unde Malach. III. dicitur : *Deus quasi ignis conflans, et quasi herba fullonum, et sedebit conflans et emundans argentum : et purgabit filios Levi, et colabit eos quasi aurum et quasi argentum.* Aurum in igne nihil deperdit nec evaporat, sed persistit et purificatur; metalla alia in fumum abeunt : sic justi in tribulationibus non evanescent nec deiciuntur; reprobi evaporant, indignantur, lamentantur, murmurant, blasphemant, desperant. Ignis fornacis Chaldaicæ corripuit ac devoravit viros, qui tres sanctos juvenes in eum immiserunt : juvenes ipsi nihil ab igne læsi sunt, sed ambularunt in eo cantantes et Deum benedicentes, Dan. III. Legitur in actis SS. Cypriani et Justinæ mart. 27. sept. sanctos illos in sartagine pice et bitumine accensam projectos, nihil prorsus damni sensisse. Id videns quidam gentilis, Athanasius nomine, idem tentare volens, invocato Jove et Esculapio, in sartagine insiliit; sed momento a voraci igne consumptus, stultitiæ suæ pœnas dedit. Videtur in eclipsi pati aliquid sol, verum nihil prorsus patitur; sed objectu lunæ solum aspectui nostro subducitur; sic justi in tribulationibus putantur male habere cum potius bene habeant.

Debent ergo tribulari etiam justi, ut eorum virtus probetur, qualis et quanta sit; tum ut innotescant aliis, tum etiam ut sibi ipsis. Jonas justus erat, defectus tamen obnoxius, quem ipse in se non noverat. Zelum habebat, sed non rationabilem, dum optabat puniri Niniven juxta prædictionem suam, ne vanus propheta haberetur. Quod cum minime fieri, sed parci videret civitati, indignatus est quasi zelo justitiæ. Sed quid actum? Egressus civitate cum in sole æstuaret, præparavit ei Deus hederam, ut sub umbra ejus quiesceret. Mane paravit vermem, ubi hederam

eroderet; unde iterum sol percutere cœpit Jonam. Qua ex re ille adeo afflictus et iratus est, ut mortem sibi imprecaretur. Tunc ostendit ei Deus ipsius infirmitatem : qui bene quidem se haberet, dum esset sub umbraculo, at eo sublato mox æstare, conqueri, desperare, mortem sibi precari inciperet. Tales fere plerique sumus. Justos et innocentes nos reputamus, et facimus officium nostrum, quamdiu bene habemus, et a Deo protegimur : at cum aliquando subtrahit beneficia sua, tum incipimus cum Jona lamentari, irasci et mortem nobis optare.

II. Ut a peccatis emundentur. Rarissimi sunt justi, qui non interdum cadunt, et prorsus innocentes sunt : pene omnibus aliquid levioris labis adhæret. Ergo ab his purgantur per limam tribulationis. Sic Malachias, ut jam audivimus, dixit : *Purgabit filios Levi, Levi Hebr. assumptum* significat : talis autem est justus, juxta id Matth. XXIV. *Unus assumetur, et unus relinquetur.* Sic purgatur a minutis peccatis patriarcha Jacob, dum tanto tempore permittitur lugere filium suum Joseph, nec audit quidquam de eo. Sic ipse Joseph, dum biennio in carcere detinetur, uti notat S. Augustin. serm. LXXXII. de temp. Hinc Joann. XV. ait Dominus : *Omnem palmitem, qui fert fructum, purgabit eum (Pater meus) ut fructum plus afferat.* Purgabit a luxurie frondium et vermicibus, qui copiosiores fructum impediunt. Nemo facile est, qui non in vanitates aliquas luxuriat et vermiculos suos habeat. Ergo falx tribulationis amputabit eos. Audiamus S. Gregorium, lib. VII. ep. XXXII. *Palmas fructuosos purgari dicitur, quia per disciplinam reciditur, ut ad uberiores gratiam perducatur. Sic enim spicarum grana tribulis atrita, aristis et paleis nudantur : sic olivæ prelo pressæ in olei pinguedinem defluunt : sic botri vinearum tursi calcibus, in vinum liquefcunt.* Plutarchus, sympos. IV. q. III. aquas, quæ fulminibus commixtæ terram petunt, omnium optimas esse ad arbores irrigandas asserit. Tempestas et fulmina quid nisi tribulationes sunt? His optime irrigatur arbor cordis justorum, ut fructum plus afferat. Hinc S. Joannes anachoreta uni de fratribus tertiana febre laboranti, roganti que ut ab eo curaretur, respondit : *Rem tibi necessariam cupis abicere. Ut enim corpora nitro vè aliis hujusmodi lenimentis abluuntur a sordibus : ita animæ languoribus aliisque hujusmodi castigationibus purificantur.* Ita Ruffinus, in vitis pp. S. Lydwina Schiedamensis virgo, a teneris pia, et virginitatis suæ tenacissima, cum a puellis aliis invitata esset ad spectandas compares in glacie labentes, ab una in se cum impetu delata in terram prostrata, costam fregit, ut ita levis

ejus curiositas a Deo castigaretur. Sed felici prorsus casu; nam curari cum non posset, sed in dies pluribus aliis morbis corripetur, tenereturque ad 33. annos, beneficium hujus tribulationis ad magnam sanctitatem provecata est, ut in ejus vita, 14 apr.

Denique, quia electi etiam sæpe graviter labuntur, corripit flagellis debent in hoc sæculo, quod est magnum Dei beneficium, ut testatur liber Macchab. II. cap. VI. *Non sicut aliis nationibus Dominus patienter expectat ut eas cum judicii dies advenerit. in plenitudine peccatorum puniat : ita et in nobis statuit.* Et quis nostrum audent innocentem se pronuntiare? Timendum ne contingeret nobis, quod cuidam contigisse fert apologus, qui ab omni defectu se immunem contendebat; et ubi in eum inquisitum est, repertus est obnoxius non uni sed pluribus. Conduxerat quidam portorium ad amnem, qua pons transitum præbebat, hac conditione, ut singuli pro singulis corporis vitii persolverent nummum. Advenit quidam scabiosus, et ab illo petitur portorium nummi unius, ut erat constitutum; qui cum recusaret pendere, occurrit portitor, et pignoris loco detrahit illi pileum, atque ibi apparet in calvitie alterum vitium alopecie. Ergo duos, inquit, jam nummos solves : Minime, inquit viator, et luctari incipit : dumque a valentiore in terram datur, conspicitur hernia. Tres, inquit portitor, jam nummos peto; quos ille, qui unum initio noluerat, tum numerare coactus est, Gilb. Cognatus, libr. I. narrat. Sic multoties, qui nulli se vitio obnoxius putant, pluribus deprehenduntur infecti. Et quid mirum, si ab illis Deus petat nummum suum, et castiget eos?

III. Ut exerceantur, et in virtutibus solidentur, atque ad excellentiores disponantur. Infantes lacte pascuntur : at ubi infantiam excesserint, durioribus cibis assuescunt, ut labores sustinere queant. Seneca, libr. de providentia cap. II. ait : « Non vides quanto aliter patres, aliter matres indulgeant? Illi excitari jubent liberos ad studia obeunda mature, feriatis quoque diebus non patiuntur esse otiosos, et sudorem illis et interdum lacrymas excutiunt : at matres fovere in sinu, continere in umbra volunt, nunquam flere, nunquam tristari, nunquam laborare. Patrium habet Deus adversus bonos viros animum, et illos fortiter amat : et operibus, inquit, doloribus ac damnis exagitantur, ut verum colligant robur, etc. » Et post : « Numquid tu invisos esse Lacedæmoniis liberos suos credis, quorum experiuntur indolem publice verberibus admotis? Ipsi illos patres adhortantur, ut ictus flagellorum fortiter perferant, etc. Quid mirum si dure generosos

spiritus Deus tentat? » Et ibid. « Languent per inertiam saginata : nec labore tantum, sed mole et ipso sui onere deficiunt. » Scimus pisces optimos et saluberrimos præfigidis et scopulosis aquis gaudere : insalubres vero ali a stagnantibus, turbidis ac putridis. Paludes quid nisi vermes et ranas gignunt? Existimabat Pharao Hebræos otio diffluere, et inde inutiles cogitationes mentem agitare, ut nimirum exeant in desertum et sacrificent Deo. Idcirco oppressit eos laboribus plusquam prius, dicens : *Vacatis otio* (Hebr. *otiosi vos otiosi*, hoc est, otiosissimi et pigerrimi) *et idcirco dicitis : Eamus et sacrificemus Domino*, Exod. V. Videt Deus otium etiam in justis gignere plura vitia, idcirco premit eos laboribus et persecutionibus; atque hoc agit paterne, quod Pharao egit tyrannice.

IV. Ut in officio contineantur, et a peccandi licentia coerceantur. Quærit Origenes, hom. XXVII. in Num. cur Hebræi peregrinantes in deserto per varias mansiones venerint de Lebna in Ressa. Lebna *dealbationem* significat, Ressa autem *visibilem, seu laudabilem, tentationem.* Cur ergo dealbati, hoc est, justi et perfecti viri veniunt in invisibiles sæpe et laudabiles tentationes? « Quid est hoc, inquit, quod quamvis grandes habeat anima profectus, tamen tentationes ab ea non auferuntur? Quia (respondet) velut custodia quædam et munimen ei tentationes adhibentur. Sicut enim caro, si sale non aspergatur, quamvis sit magna et præcipua, corrumpitur; ita et anima, nisi tentationibus assiduis quodammodo salietur, continuo resolvitur ac relaxatur. Unde constat propter hoc dictum esse, quod omne sacrificium sale salietur. Inde denique est, quod et Paulus dicebat : Et ex sublimitate revelationum ne extollar, datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Satanæ, qui me colaphizet. » Exemplum habemus, in S. Job, qui utique dealbatus, innocens et rectus fuit, Domino teste : et tamen ipse miratur constrictionem, et quasi incarcerationem suam, c. VII. dicens : *Numquid mare ego sum aut cete, quia circumdedisti me carcere? ærumnarum scilicet. Sed ne mirere Job. Cum enim esses magnus inter orientales, divitiis, honoribus, liberis, amicis omnique suppellectili florens, timendum erat, ne velut mare terminos egredereris, aut velut cete corrumpereris; ideo carcere et litore, ideo sale indigebas tribulationum et plagarum, quibus condiretur. Sal hæc servabit te, uti bene expressit Deus, cum Satanæ potestatem in te dedit : Ecce in manu tua est, verumtamen animam illius serva, Job II. Vide jam Jobum in sterquilinio inter vermes et ulcera; et vide Adamum in paradiso inter opes et delicias. Tentatur ab*

uxore Adam, tentatur ab uxore et Job: *Benedic Deo et morere*. Verum Adam succumbit et vincitur: Job vincit et triumphat: *Quasi una de stultis mulieribus locuta es. Quæ causa discriminis?* Nimirum quia Adam in paradiso deliciarum, Job in sterquilinio calamitatum sedit. Unde S. Aug. in Ps. XCXIII. ait: *Job melior fuit in stercore victor, quam Adam victus in paradiso.*

V. Ut digni fiant cœlesti gloria. Tam ardua est majestas, tam pura atque honesta suavitas, tam secunda atque invariata æternitas gloriæ illius, ut non per delicias, sed per labores et liberrimam agendi patiendique voluntatem eo tendere oporteat. Viles reputantur merces, quæ magni non emuntur. Gemmæ et aurum parum valent, si passim sine multo labore reperirentur. Hinc dicitur: *Difficilia, quæ pulchra*. Terra promissionis, lacte et melle manans, adiri non debebat, nisi per mare rubrum, per multas asperrimarum viarum ambages et varia prælia. Unde Origenes, homil. XXXVII. in Num. ait: *Non est possibile venire ad terram promissionis, nisi per amaritudines transeamus*. Ad Persarum regem nemini accessus patebat, nisi prius oscularetur virgam ejus, Esther V. Cassianus, libro IV. de institutis renuntiant. cap. III. scribit eos, qui olim ad cœnobii disciplinam recipi cupiebant, non prius admissos fuisse, quam decem aut pluribus diebus ad fores monasterii excubantes, patientiæ, humilitatis et perseverantiæ specimen dedissent; ubi ad omnium genua se provolverent, probris et injuriis onerarentur. Qui hæc non tolerabat, audiebat: *Abi unde venisti*. Quæ comparatio vitæ cœnobiticæ cum vitâ beatifica? Quid mirum ergo, si qui ad hanc aspirant, prius varie probari, vexari et tribulari debeant, ut cœlo digni fiant? Quin etiam ad hujus sæculi honores non patebat aditus candidatis, nisi prius diu multumque purpuratorum prehensarent togas, oscularentur eorum manus, stiparent latera, sequerentur vestigia, etc. Strenuus miles pro gratia et honore interpretatur, cum a duce sup. mittitur ad periculosam expeditionem, v. g. ut hostem primus aggrediatur, primam in urbem irruptionem faciat. Quia videt se ad gloriam et spem optimæ prædæ vocari (uti etiam ostendit Seneca, de provid. citatus); ita pariter: *Omne gaudium existimate, fratres*, inquit S. Jacobus, cap. I. *cum in varias tentationes incideritis*. Parum fuit Davidi et ludus parvulorum tantum, quod ab eo peteret Saul centum præputia Philistinorum pro filia sua Michol; abiit enim et percussit non centum, sed ducentos Philisthæos, eorumque præputia annumeravit regi, I. Reg. XVIII. Nec dubium videtur quin et ipse in pugna plagas aliquas acceperit; eas tamen non

curabat. Dicebat enim: *Num parum vobis videtur generum me esse regis? At quid filia regis respectu gloriæ cœlestis? Annon cum Davide cuicumque mortis et pœnarum discrimini exponere nos debemus, ut regni non terrestris sed cœlestis hæredes esse possimus?*

VI. Denique: *Ut etiam alios pati doceant, nati sunt in exemplar*, inquit in simili Seneca, lib. de providentia, cap. IX. Hac de causa afflicti sunt cœcitate Tobias: *Ut posteris daretur exemplum patientiæ ejus, sicut et S. Job*, ut dicitur Tob. II. Præclarissimum vero exemplum sunt hi Innocentes, qui nec potuerunt quidem delinquere, ideoque ad hoc solum videntur ad macellum dati, ut alios pati doceant. Imprimis vero ipse Christus Dominus, qui in sua infantia jam sentit persecutorem, et fugere in Ægyptum, via tam longa et aspera, compellitur. Bene ergo potuit dicere per Isaiam, cap. VIII. de se et de Innocentibus: *Ecce ego et pueri mei, quos dedit mihi Dominus in signum et in portentum Israel*; in exemplum videlicet et spectaculum, ut ab Innocentibus discant pati non modo nocentes sed etiam innocentes. Quis enim jam conqueri audeat se indigna aut intoleranda pati, cum cernit ducem suum unicum ephelis ejus præcedere et ferre cruces suas tam graves et ponderosas? Illum quidem post dirissima supplicia in crucem agi, hos vero a tyranni militibus raptari, medios secari, ad terram et parietes allidi, pedibus conculcari? S. Petrus, e Dominicana familia martyr, cum aliquando ex falsa suspitione accusatus, pœnas superioribus quasi reus dare cogebatur, ad Christi crucifixi effigiem cœpit amice, quasi filius coram patre, conqueri ac dicere: *Ecce, Domine, quid feci? An nescis me innocentem, et cur tamdiu hac infamia notor? Cui Dominus: Et ego, Petre, quid feci, ut in hanc crucem agerer? Ergo vel exemplo meo tuas ærumnas pati discas*. Ad hæc vir sanctus partim solatio, partim rubore suffusus, hanc ærumnam suam cœlestem credidit esse favorem, adeoque pluribus et majoribus onerari flagitavit, quo Christo crucifixo, omnis innocentia speculo, similior evaderet, Ribadeneira, in vita ejus 29. april. Ergo et vos, auditores, discite ex hoc speculo etiam innocenter pati, et hoc ipso magis gaudere, quod hac ratione non latronibus cum Christo crucifixus et scelerum pœnas dantibus, sed ipsi Christo innocentissimo similiores sitis.

CONCIO II.

CUR ETIAM MALI TRIBULENTUR SÆPE IN HOC SÆCULO.

Etiam reprobi hic sæpe flagellantur. — I. Ut e somno peccatorum evigilent. — II. Ut liberentur a pœnis, peccatis suis debitibus. — III. Ut humilientur et compescantur. — IV. Ut per eorum flagella alii emendantur. — V. Ut subinde puniantur etiam in hoc sæculo.

THEMA.

Mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem. Matth. II.

Mirum, auditores, quod gladius Herodis non tantum devoravit filios alienos, quos stulte metuebat insidiatores regni, sed etiam proprium filium, Antipatrum videlicet, quod ipse revera ejus regno fuerit insidiatus; quem proinde quinto ante mortem suam die jussit interfici, auctore Josepho, lib. XVII. antiq. cap. XX. et XXI. Quod sane miratum Augustum imper. scribit Macrobius, lib. II. Saturn. cap. X. dixisseque: *Malle se Herodis porcum esse quam filium*, siquidem Judæi porcos non mactant. Mirari etiam nos possumus, quare Deus in hoc sæculo puniat sæpe numero non modo pios et bonos, verum etiam impios; non solum innocentes filios, sed nocentem etiam Antipatrum. Quod enim boni hic patiantur, quid mirum? De mundo hoc non sunt, et cœlum laboribus emere debent. At quod etiam reprobos sæpe cernimus affligi variis adversitatibus, id videtur mirum. Sunt enim cives mundi hujus, et cum in cœlo nihil quaerant, saltem hic videntur non solum a flagellis eximendi, sed præterea etiam hujus vitæ bonis omnibus cumulandi. Ad quid igitur eis flagra? Audiamus.

I. Ut e somno peccatorum evigilent, et aperiant oculos. Culpa mentis oculos excecavit, teste Sapiente, Sap. II. *Excecavit eos malitia eorum*. Impiorum oculos culpa claudit, sed ad extremum pœna aperit. Nescit enim impius mala quæ fecerit, nisi cum pro eisdem malis cœpit puniri; unde etiam per prophetam Isaiam, cap. XXVIII. dicitur: *Tantummodo sola vexatio intellectum dabit*. De Constantio Palæologo II. imperat. Constantino-politano refert Egnatius in ejus vita, quod cum ægrotus nullis medicorum auxiliis convalescere posset, et integrum ferme annum in lecto decumberet, magno reipublicæ incommodo, a persona quapiam prudente ac perita didicerit imperatrix uxor ejus non posse convalescere virum, nisi acerbis et importunis molestiis continuo imperator vexaretur: eo vero modo dilapsuros humeros, unde manabat ægritudo; nam secundum artem medicinæ, divexationibus nonnulli humores

noxii consumuntur. Admisso igitur consilio, imperatrix cœpit Palæologum virum nimis divexare, vix ulla re obsequens illi, sed molestia sæpe illum afficiens; qua ille affectus vehementer, ita humores pravos consumpsit et expulit, calore naturali inde aucto, ut ita convaluerit imperator, et viginti, quibus postea vixit, annis incolumis existerit semper. Mirum sane hoc curationis genus! Quod certe aliud non est in ægritudine animi, quam vexatio; quæ aperuit oculos etiam Arcadiæ imper. conjugis et malevolorum fraude cæcatis; adeo, ut Sanctum Chrysostomum relegarit in exilium. Eo namque ejecto, horribili terræ motu civitas Constantinopolis concussa, imperatoris ipsius ædibus subversionem minari videbatur. Inde commotus imperator, et ob facinus imprudenter admissum ingemiscens, seque ac suos summæ injustitiæ condemnans, misso confestim Brisone, Eudoxiæ ministro, Joannem revocavit, et amplificatis honoribus invitum in sedem restituit, ut in ejus vita, Lipel. 14. septemb. Hoc igitur est, quod ait Isaias de infirmitate animæ, quæ non nisi vexatione in impiis sanatur, uti patet in filio prodigo, et in rege Manasse, qui ad summam perversitatem prolapsus non nisi captivitate et ponderosis vinculis tandem curatus est, II. Paral. LXXXV. Victoribus in quadrigarum certamine olim dabatur absinthium, *velut sanitas præmio*, ut ait Plinius, lib. XXVII. cap. VII. Sed quæ sanitas ab absinthio? Aretas, in cap. VIII. Apocal. ait absinthio illuminari oculos et visum acui. Amara est tribulatio, fateor, absinthium est; sed tamen illuminat oculos peccato cæcatis. Præmium igitur reputent impii se accepisse, licet immeritos, cum tribulationem accipiunt, quia absinthium est saluterferum; quale etiam acceperunt Judæi pervicaces, abducti in captivitatem, qui Thren. III. dicunt: *Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absinthio*. Quando quis lethargo decumbit, mandat medicus ministris, ut infirmum excitent subinde, cum altum indormire pergit; ne profundo somno obrutus, prorsus intereat. Videt Deus peccatores profundo vitiorum somno plane demersos, nec facile evigilatos, nisi concutiantur et tundantur. Itaque immittit eis tribulationes, quibus vexentur, ut vel sic evigilent. Durum est hoc ipsis, quemadmodum et lethargicis, si a somno excitentur: saluberrimum tamen ac plane necessarium, cum vix aliter sanentur. Ciceronem a sicariis quæsitum ad necem, dum in villa Cajetana dormiret, excitavit corvi, stragulum a capite abstrahendo, ac laciniam togæ eosque morsu tenendo, donec servus id observans, milites ad occidendum eum venire nuntiaret, sicque ipse sibi fuga consuleret, Val. Max.